

quod sit prælatus respectu subditorum, pater ad filios, rex ad subditos, illa additio major ita gravat scandalum, quod de se est sufficiens ad offensam mortalem, etiam supra ipsam speciem peccati, quia majorem et magis irreparabilem ruinam causat, est circumstantia confitenda necessario intra speciem scandali. Et similiter ex parte personæ in quam peccatur, si quis committit incestum, et additur circumstantia, quod sit soror, vel mater, illa additio per se solam considerata est mortalis offensa, quia est dehonestatio conjunctissimæ personæ, et cui specialissime honor debetur, tenetur eam circumstantiam confiteri. In circumstantia quando, seu temporis, peccat quis verbi gratia in hac hora, et continuat peccatum multo tempore, illa continuatio supra peccatum, seu peccati speciem jam facta, non addit novam aggravationem offensæ mortalis, quia licet in quolibet instanti, vel parte durationis peccet, tamen species peccati est eadem, utpote continuata, et solum supra peccatum, seu peccati speciem additur illa temporis perditio, dum continuat idem peccatum, illa præcise non est aggravans circumstantia, quia in se perditio, seu consumptio temporis mortale peccatum non est, solum ergo habebit rationem peccati ex specie, et natura peccati commissi, non ex illo superaddito quod est continuatio; nisi forte talis continuatio sit quod vel pluries iteret peccatum; quod pertinet ad numerum peccatorum, non ad circumstantiam, vel ita continuo adhæreat peccato, quod aliarum rerum necessariorum curam remittat, aut alia præcepta frangat, quæ sunt distinctæ circumstantiæ, et non sola temporis additio. Similiter si quis in die festo peccet, dummodo id non fiat in contemptum festi, vel

cum particulari scandalo, illa circumstantia festi non aggravat, quia præter speciem peccati, illa additio diei festi non violat præceptum festi, nec contemnit cum offensa mortali festivitatem (dummodo non ideo omittat sacrum) et sic non est circumstantia de necessitate confitenda.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XVIII. Primo arguitur argumento supra in principio articuli deducto ex auctoritate Concilii Tridentini, quod agens ex professo de circumstantiis necessario confitendis solum docet eas deberi confiteri, quæ speciem mutant. Et idem habet citata sessione XIV, canone VII. Et confirmatur auctoritatibus D. Thomæ supra relatis in prima sententia, tum in quarto, dist. XVI, tum in opusculo XII, art. VI.

XIX. Respondetur ad auctoritatem Concilii dupliciter. Primo, quod cum dicit debere confiteri eas circumstantias, quæ speciem mutant, per ly speciem non solum intelligit speciem moralem, sed etiam theologiam, et sic complectitur circumstantias aggravantes, quæ intra eandem speciem moralem, novam, seu majorem offensam mortalem inducunt, ratione ejus quod superaddunt. Nam ut diximus species theologica in peccatis attenditur penes aversionem, et offensam Dei, species moralis penes conversionem ad objectum morale. Et sic si aggravatio circumstantiæ in eo quod superaddit, addit sufficientem rationem offensæ mortalis præter id quod habet peccatum ex specie sua, mutat speciem theologiam, licet non moralem, seu mutare sufficit, dum addit tantam aggravationem, quæ sufficit ad peccatum novum mortale, si prima species non esset

et hæc etiam includitur in mente Concilii.

XX. Secundo respondetur, quod Concilium docens, quod circumstantiæ speciem mutant debent confiteri, exprimere voluit id quod est certum apud omnes, nempe has circumstantias confitendas esse, id vero quod est in controversia de speciebus non mutantibus, sed aggravantibus eandem speciem noluit exprimere, sed insinuare quid agendum sit ex ratione sua; quæ si efficax est, eodem modo probat de circumstantiis aggravantibus, sicut de mutantibus speciem, videlicet, quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, neque iudicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere. Ista est ratio Concilii, quæ omnino complectitur circumstantias aggravantes, quia ut jam ponderavimus sine illis non potest tota gravitas peccati innotescere, nec debita pœna pro illo imponi, aut remedium adhiberi, nec de ipsa gravitate censeri, seu ferri iudicium. Quomodo enim potest confessarius ferre iudicium de gravitate furti si fuit in quantitate sex millium, aut si fuit factum in campo tamquam a grassatore viarum, si pœnitens solum declarat se commisisse furtum sufficiens ad peccatum mortale? Aut quomodo poterit ferre iudicium de gravitate incestus, si pœnitens non declarat nisi peccatum incestus, non si fuit cum matre aut sorore, aut filia, vel alia consanguinea? Concilium ergo sufficienter in ratione proposita complexus est circumstantias aggravantes, licet in ipsa verborum expressione solum illas, quæ speciem mutant, explicaverit.

XXI. Ad confirmationem ex auctoritatibus D. Thomæ respondetur

ipsum loqui de circumstantiis aggravantibus citra peccatum mortale, seu novam, offensam mortalem, ita quod neque, mutant speciem moralem, neque theologiam, eo quod semper loquitur æquiparando istas circumstantias peccatis venialibus. Nam in illo loco ex quarto sententiarum, dist. XVI, ponens illam sententiam, quod circumstantiæ, quæ non trahunt in aliud genus peccati non sunt confitendæ, addit: « Et hoc probabilius est, sed addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis trahunt (hæc est species theologica in peccatis) quia venialia non sunt de necessitate confitenda: » et solutione ad primum, inquit: « Quod de peccato mortali non potest homo exire nisi per confessionem, tamen de illis, quæ circa sunt, id est, de venialibus, et circumstantiis, quæ venialibus æquivalent, potest homo exire sine confessione. » Quid clarius pro mente D. Thomæ; cum ipse loquens, et tractans ibi ex professo hanc difficultatem de confitendis circumstantiis non mutantibus speciem, se ipsum declarat, dicendo quod loquitur de circumstantiis, quæ venialibus æquivalent, a quibus non est necesse exire per confessionem?

XXII. Et ut melius innotescat mens sancti doctoris videndus est in quarto ad Annibaldum, dist. XVI, quæstione unica, art. III, ubi eandem tractat quæstionem, an omnis circumstantia sit confitenda: et respondet: « Quod circumstantia, quæ novam rationem peccati mortalis addit de necessitate est confitenda, alia autem non. » Ubi manifeste nostram resolutionem tradit, videlicet quod circumstantia aggravans, si in ipsa aggravatione addit novam rationem peccati mortalis de necessitate confitenda est, etiamsi moralem speciem non mutet, dummodo in aggravan-

do addat id quod sufficit ad culpam mortalem; si enim solum id quod addit aggravatio veniale est, non pertinet de necessitate ad confessionem. Et similiter loquitur S. Thomas ibi solutione ad quintum, unde intelligimus quoties affirmat esse confitendas circumstantias, quæ trahunt in aliquid genus peccati, intelligi de alio genere in ratione mortalis, quod pertinet ad speciem theologiam, non de alio genere, vel specie morali, ex diverso objecto desumpta.

XXIII. Et ad locum ex opusculo duodecimo citato respondetur eodem modo, quod loquitur de circumstantiis, quæ æquiparantur venialibus. Verba S. Thomæ sunt: « Circumstantias vero non aggravantes, quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut nec peccata venialia, licet sit laudabile quod homo ea confiteatur. Eadem enim ratio videtur esse de hujusmodi circumstantiis et de peccatis venialibus. » Semper sanctus doctor has circumstantias æquiparat venialibus: postea subdit quæ circumstantiæ sint, quæ trahunt in aliud genus peccati. Unde ego non video, qua ratione allegari possit hic locus contra nos, cum non loquatur de circumstantiis aggravantibus sicut nos loquimur, sed de non aggravantibus, nec trahentibus in aliud genus peccati cum dicit: « Circumstantias vero non aggravantes, quæ in aliud genus peccati non trahunt, etc. » Hinc vero quomodo inferri possit, quod circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem non teneatur quis confiteri, plane non video, nisi forte citentur verba, quæ statim subdit S. Thomas: « Sic ergo hujusmodi circumstantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non credo quod aliquis teneatur confiteri. » Sed tamen videtur littera illa esse mendosa,

et debere dici: Sic igitur hujusmodi circumstantias non aggravantes, etc. tum, quia ly hujusmodi refert circumstantias paul ante commemoratas, et illas vocaverat D. Thomas non aggravantes; tum, quia titulus articuli de non aggravantibus positus fuit; sic enim dicit: « Sexto quæstio est, an circumstantias peccati trahentes in alterum genus non notabiliter aggravantes teneatur homo confiteri: » et respondet ad has teneri, quia trahunt ad aliud genus, circumstantias vero non aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus, non teneri confiteri: ubi semper loquitur de non aggravantibus. Sustinendo tamen verba allata, dicimus loqui de aggravantibus, quæ æquiparantur venialibus, non quæ secum mortalem offensam afferunt in ipsa aggravatione, ut ex verbis citatis in eodem opusculo et in XVI distinctione constat.

XXIV. Secundo arguitur: Quia per se, et ratione confessionis solum tenemur totum, et integrum peccatum explicare, quod fit etiam si istæ circumstantiæ non declarentur, quia non addunt novum peccatum, sed ad idem pertinet: nec est necesse id declarare ratione pœnæ, et satisfactionis injungendæ, quia hic finis est secundarius in confessione; unde ex ipso præcise non est sumenda necessitas confitendi circumstantias istas. Imo quantumvis istæ circumstantiæ explicentur, semper satisfactio erit arbitraria, et non perfecte adæquans quantitatem culpæ; ergo in ordine ad ponendam satisfactionem adæquatam parum interest illarum circumstantiarum explicatio.

XXV. Confirmatur, quia alias etiam teneretur quis circumstantias alleviantes per se confiteri, ut innotesceret quantitas peccati, et satisfactio debita imponeretur, quod tamen nullus dicit.

XXVI. Denique vix potest assignari aliqua regula, qua istæ circumstantiæ discernantur, quando videlicet sunt notabiliter aggravantes, ita quod currat obligatio confitendi. Et quidquid dicatur potius est scrupulis onerare pœnitentes, quam expedire, et confessionem reddere fere intractabilem.

XXVII. Respondetur utroque titulo deberi istas circumstantias confiteri, et confessionis, et satisfactionis, seu medicinæ adhibendæ. Ratione quidem ipsius confessionis, quia istæ circumstantiæ aggravant mortaliter, et graviter intra eandem speciem moralem, licet non constituent diversum peccatum, aut diversam speciem moralem, omne autem quod mortalis culpæ est ad confessionem necessario spectat. Nec potest illi peccato adhiberi medicina, nisi tota gravitas mortalis aperiatur, quia totum curari debet. Ratione autem satisfactionis debent istæ circumstantiæ explicari, quia licet satisfactio quantum ad sui realem executionem, et exhibitionem sit de secundaria intentione sacramenti, et sine illa possit essentia sacramenti salvari, tamen ordo, et respectus ad satisfactionem essentialis est sacramento pœnitentiæ. Et licet semper satisfactio juncta sit arbitraria, tamen debet esse proportionata culpæ, licet non semper adæquata. Non potest autem proportionata esse nisi cognitis istis circumstantiis juxta quarum gravitatem, et modum, modus etiam plagarum imponendus est et si non adæquatus, saltem proportionatus.

XXVIII. Ad confirmationem jam dictum est non requiri per se quod manifestentur circumstantiæ pure alleviantes, quia istæ solum excusant, verbi gratia si aliquis peccat ductus aliqua vehementi tentatione,

ratione cujus peccatum illud alleviatur, non tenetur hanc circumstantiam explicare, quæ alleviativa est. Per accidens autem aliquando tenebitur explicare hanc circumstantiam alleviantem, ut si quis furatus est in ea quantitate, aut cum ea circumstantia, quod non manifeste constat aggravare, et ex hac parte levior, quam quæ certo est peccatum mortale, manet tamen dubium, an sit peccatum mortale, tenetur eam dicere, quia tenetur dubium confiteri, et veritatem aperire, quæ sine ista alleviativa circumstantia non potest cognosci.

XXIX. Ad ultimum respondetur jam esse explicatam regulam, quia possumus discernere circumstantias aggravantes, quando in eo quod addunt ad speciem, vel ad alias circumstantias aliquid mortalis culpæ important. Neque hoc est onerare conscientias, quia potius tollit onus earum quod est culpæ mortalis; hanc enim divino jure tenemur clavibus Ecclesiæ subicere. In singulari autem difficultates, et scrupuli, quæ circa istas circumstantias occurrunt confessoris prudentia, et dexteritate expediri possunt. Et pœnitens juxta suæ conscientiæ necessitatem debet consulere prudentem confessarium et peritum, qui possit ejus scrupulos sedare, et difficultates solvere, et ejus debet judicio stare, et in eo quiescere. Quod si nolit, suæ imputet negligentiam et insipientiam onera, et scrupulos conscientiam, non doctrinam, et veritati. Nam etiam magna difficultas est in discernendis multis speciebus peccatorum, et in cognoscendo quando perveniunt peccata ad rationem mortalis vel non, nec tamen propterea deobligantur homines ab illis confitendis, et a judicio peritorum consulendo.